



1720/1
268
DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA 34
DE
JVRE
DECIMARVM,

QVAM
*INDVLTV ILLVSTRIS FCTORVM
ORDINIS*
ALMÆ ET PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSITA-
TIS ERFORDIENSIS
PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQUE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI,

DIE XXI. MARTII ANNO M DCCXX.

IN AVDITORIO MAJORI

HORIS CONSVETIS DEFENDET.

CONRADVS FERDINANDVS
HAAS, Fideslariensis,

ERFORDIÆ,
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

DISSESTITATIO IN VACARIA LIBERDICI
VIRIS
PLVRIMVM REVERENDIS
PERILLVSTIBVS ac PRÆNOBILIBVS
DOMINIS
DOMINIS
DECANO,
SCHOLASTICO,
CANTORI, SENIORI
Cæterisque
CAPITVLARIBVS
Nec non
DOMICELLARIBVS
Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Divi Petri Apo-
stoli Frideslariæ
PATRONIS SVIS ac DOMINIS
perquam Gratiolis.

269


PLVRIMVM REVERENDI,^{et superius}
PERILLVSTRES ac PRÆNOBILES
DOMINI DOM. FAVTORES, PATRONI
PER QVAM GRATIOSI

Datiemini *VIRI* plurimūm *REVERENDI* Dis-
sertationem hanc Inauguralem de Jure De-
cimarum inscriptam *VESTRIS* sub auspiciis
prodire. Credidi enim in arenam literariam
descensurus & à regulis civilitatis multūm me aber-
raturum, nisi in accepti beneficii ac officii recognitio-
nem *VESTRA* Thesibus meis *NOMINA* præfigerem, &
sanè futurum, ut in prima juris gentium principia,
quod, unde hostium graviores timentur insultus ac
impetus, eò defensionem omnem ut plurimūm susci-
piendam dicitat, graviter impingerem, præsentem
ubi materiam *de Decimis*, quibus irtote non in unius
modò sed variorum Principum territoriis locupletes,
iisque

QUS
iisque sic latè diffusis multis sàpè processibus impli-
camini, quatantenus tractandam minimè suscepissim.
Accipite igitur, *VIRI plurimùm REVERENDI*, hasce pa-
gellas quales quales gratitudinis debitæ ac præparatori-
as futuræ à me, ut spero, rerum Vestrarum acjurium de-
fensionis notas. Quibus *VOBIS* me totum devoveo,
dico & consecro, qui sum

*PLVRIMVM REVERENDARVM
PERILLVSTRIVM AC PRÆNOBILIVM
DOMINATIONVM VESTRARVM*

Obsequentissimus Servus
CONRADVS FERDINANDVS
HAAS.



CAPUT I.

De Decimis in Genere.

S. I.

Deo Dissertatione Inaugurali sollicitus de quadam materia , cuius notitia & que utilis mihi ac necessaria esset , praeceteris hanc de Decimis , non obstante , quod plurimi , quos BESOLD. in suo Thesaur. Praet. sub verbo *Dehend* pro parte recenset , de iis plenius scripserint , ex dicta ratione eligendam ac breviter tractandam fore existimavi . Est autem Decima in genere cujuslibet rei Decima pars , qua aut Principibus aut Ecclesia Ministris solvitur , in specialiori significatu , & prout hic sumitur : est Decima seu quota pars bonorum omnium mobilium C. non est. 22. de Decim. & fructuum licite quaeſitorum C. transmissa 23. de Decim. jure humano pontificio sub lege evangelica instituta COVARR. Var. resol. lib. 1. Tom. 2. Cap. 17. n. 4. Ministris Ecclesia debita & quot annis persolvenda . DESSEL. in suis Erom. jur. Can. tit. de Decim. qua' quota tamen non semper decimam partem , ita ut de-

A 2

tractâ

tractâ illâ novem relinquantur, sed interdum duodecimam, vigesimam, vel aliam quamvis portionem continet, vocaturque nihilominus & habetur decima.

§. II.

Dictum in præcedendi sp̄ho decimam seu quotam illam jure humano pontificio institutam esse, non igitur debetur jure naturæ, cum ratio naturalis non magis dicter ministrantibus spiritualia dandam esse decimam partem, quâm nonam, octavam vel quartam. Nec lege veteris testamenti, si quidem præcepta veteris legis inter quæ & illud de solvendis decimis, sive ad ceremonialia, sive judicialia id quispiam reulerit, in totum per legem gratia sublata sunt, & licet post Evangelicæ legis promulgationem iterum ab homine statuantur, non servantur tamen ex veteri lege, sed quia noviter legi humanâ constituta sunt. Et denique sub lege Evangelica ea solum lege Divinâ tenemur servare, quæ à CHRISTO & per ejus Apostolos nobis præcepta sunt iuxta illud MATTHÆI ult. dicentis: *Docentes eos servare omnia, quecumque mandavi vobis;* sed de solvendis Decimis nec in Evangeliiis, nec apud Apostolos visum est Præceptum: Igitur nec lege Divinâ Evangelicâ tenemur decimas solvere.

§. III.

Concludendum itaque primò decimas, quantum ad quotam, Jure ut dictum, Pontificio iustitutas fuisse sub lege Evangelica, & ex eo Jure oriri obligationem ad imitationem veteris Divinæ legis VALLENS. in Paravis, ad Jus Can. iii. de Decim. Secundò Decimas, pro ut alimenta & congrua sunt Clericorum sustentatio jure naturali & Divino legis Evangelicæ Ecclesiarium ministris, cum hi circa spiritualium administrationem animarum fidelium curam exerceant, & pro plebe Christiana sacrificia offerentes Sūmmo DEO preces effundant, esse solvendas; digni enim sunt mercede sua veluti legitime operantes. MATH. C, 10. LUC, 10.

§. IV.

§. IV.

Dividi autem solent Decimæ in spirituales & temporales. Illæ sunt, quæ proveniant à jure spirituali & laicis concedi non possunt, nisi certis quibusdam modis, de quibus capitulo proxime sequenti fusius tractabitur. Hæ, quæ tamen proprie non sunt Decimæ, sed potius decimationes & defensionant à jure temporali, caduntque in laicum, ac dantur per Principes seculares, ut si concedatur decima pars territorii vel quid simile BALD. *Consil. 419. lib. 1.*

§. V.

Spirituales subdividuntur in prædiales & personales, prædiales debentur ex fructibus prædiorum, obventionibus molendinorum, locationibus ædium & similibus C. 4. de Decim. solvunturque statim, atque collectæ sunt, & quidem integræ nec facienda computatio expensarum deducendarum frumentum quærendorum & colligendorum gratiâ C. cum homines 7. c. non est 22. de Dec. personales, solvuntur de rebus, quas quisque sibi industria & operâ suâ acquirit. C. tua nobis 26. in fin. de Decim. Veluti ex negotiatione quacunque honesta, ex stipendio militiae, ex venatione, aut alia professione, atque in his deducuntur expensæ nedum quærendorum, colligendorum & conservandorum sed etiam custodendorum frumentum & bonorum, in quibus enumerantur etiam expensæ Procuratorum, & Advocatorum GEMIN. *Consil. 83. per totum.*

§. VI.

Sunt & alia papales seu beneficiales, quæ levantur de mandato Summi Pontificis. Clem. 2. de decim. in quibus etiam sicut in personalibus expensæ deducuntur. De his prolixe vid. Card. TUSCH. in Praet. Conclus. jur. Tom. 1. de Decimis lit. D.

§. VII.

Aliæ porro vocantur majores, quia sunt ubiores, plus que A 3

(6)

que emolumenti adferunt, & magis certæ sunt, quæ percipiuntur ex frumentis, siliquine, hordeo, avena & similibus. Aliæ minores sive parvæ, quæ sunt minutiores, leviores & minoris momenti, quæ percipiuntur scilicet ex fructibus hortorum, agnellarum & aliis,

§. VIII.

Objectum decimaru[m] constituunt de jure communi omnes fructus terræ, veluti frumentum, sœnum, vinum, & legumina omnis generis. *C. de multiplici 3. C. non est 22. de decim. item fructus arborum, hortorum, pecorum, veluti lana, apes, gallinæ, columba &c. d. e. non est. C. cum homines 7. de Decim. ex conductione prædiorum, & cuiuscunq[ue] rei C. ex parte. 21. C. à nobis, de Decim. Denique ex quacunque lucrosa, honesta, & licita negotiacione Decimæ solvuntur C. paſſoralis de Decim.*

§. IX.

Si formam decimaru[m] spectemus: solvenda est una pars de omni decima, ideo in iis, quæ non sunt divisibilia, non solvit decima, nisi excedat numerum quinarium Card. TUSCH. Tom. I. concl. præf. 69. Lit. D. & à solvente illa citra interpellationem ad ades aut horreum beneficiati portari debet. GEMIN. Consil. 72. n. 8 CARPZ. jur. consil. 1. i. decisi. 136. n. 4. præstaturque, si in frumento consistat decima modio xxquat[u]ro, nisi conformato in contrarium sit. Idem decisi. 127. idque in eo solum casu, si solventes decimam liberè colligant frumentum, ceterosque fructus, & eos in propria horrea sine testibus recondant, hisque ita conditis decimas integrè ministris ecclesia reddant; alias enim cessantibus confraternitibus laici aliquæ decimaru[m] debitores non possunt fructus in propria horrea condere, nisi priùs clerici certiores fiant, ut vel ipsi vel eorum procuratores adstant, & fint præsentes fructuum collectioni, decimasque percipient, ne ulla fraus à laicis fieri possit in solutione decimaru[m]. SPEC. iii. de decim. ad fin.

§. X.

272

(7)

S. X.

Advertendum porro: Si decimæ animalium prestanda, decimum animal natum, sive bonum, sive malum, dummodo discerni posit, venit solvendum. Sin minus, mediocre, ut nec melius, nec deterius solvatur. OLDRAD. Confil. 236.
 n. 2. Si agni sive hædi solvendi, licet sit pura obligatio, tam non differunt solutio in tempus, quo nascuntur, ita tamen, ut æquitas servetur, nec solvere debens cogatur differre, nec subministrare expensas, nec ita festinanter solvat statim, quam nati sint, ut sit inutilis solutio. idem c. 4. de cætero in decimis prestandis conve*ntu*do cuiusque loci potissimum attendi debet.

CAPUT II.

De his, qui decimas debent, & quibus illæ debentur.

S. I.

Quin hodie christiana plebs sub peccati mortalis pena decimas solvere teneatur ratione præcepti humani & Apostolicæ sedis, nulli dubium esse potest, atque adeo, ut omnes Christiani, cujuscunque sint generis, ordinis, aut gradus, imo Episcopi, omnesque clerici ac religiosi, nisi se exemptos esse speciali privilegio aut jure docant. C. ex transmissa 23. C. commissum 4. eas prestare obstricti sint. Nec judæi exempti sunt intuitu illorum fundorum, quos sub ditionibus Christianorum principum posident & collunt, quod etiam ad Saracenos & paganos extendendum. Decima enim onus est ipsi rei annexum, quod cum illa transit ad quemcunque possidentem. Can. si quis laicus 42. de decim. Sic fructus percepti cum eodem onere in quemvis possestorum transferuntur. d. c. pastoralis 28. de decim. & quia decimæ onus

onus fructuum sunt , hinc conductores ratione illarum re-
ctè conveniuntur . C. dilecti g. C. sua nobis de dec.

§. II.

Debentur verò decimæ Clericis , DEUS enim nobis o-
mnia dedit , & decimam ac primitiam à nobis recipere digna-
tus est , non pro se sed Ecclesiis & Ecclesiasticis personis .
Card. TVSCH. d. l. Non quidem intuitu personarum sed in-
tuitu servitii seu ministerii & officii ecclesiastici , solvuntur
que iis vel ex certa assignatione sub titulo cuiusdam benefi-
cii facta , vel ea seposita ex lege justitia , quod nimisrum il-
li , qui curam animarum gerunt , & spiritualia seminarunt , in
laboris impensi justam mercedem temporalia percipere de-
beant . Qui enim alteri servit , ex eo quoque vivat . Can.
quicunque 4. caus. 16. q. 7. Nec refert quidquam Clerici divi-
tes sint , & habeant prædia , agros , alias res , unde vi-
vere absque inopia possint . Justissima enim lege debentur ,
ut parum obsit , divites esse , sicuti debitor immunis non est
à solutione debiti ex eo , quod creditor dives sit , neque le-
ge pontifica statutum est , ut sacerdotibus decimæ darentur
ea tantum principali causa , quod pauperes essent .

§. III.

Potissimum autem de decimis in jure prævisum est pa-
rochis , his namque singulis , dum Dionysius summus Pon-
tifex Ecclesiæ distinxit , singulæ Ecclesiæ , earumque proven-
tus attributi sunt . Can. Ecclesiæ . Caus. 13. q. 1. C. pastoralis de-
bis quæ sunt à Prelat. Ut sic Parochi de jure communi suam
intentionem fundatam habeant ad ipsas decimas percipiendias , nec teneantur probare eas ad se spectare . C. à nobis cum
contingat 29. de decim. REBUFF. trætl. de decim. q. 7. n. 4. Spe-
ctant proinde personales decimæ ad eam parochiam seu ec-
clesiam , in qua quisque divina percipit vel audit , aut per-
cipere vel audire deberet . Dd. in C. 2. de decim. & præter a-
lios REBVFF. de decim. q. 5. prædiales vero ecclesiæ matrici
sive baptismali solvenda veniunt . C. ecclesiæ 16. q. 1. debentur
etiam

273

(9) 53

etiam ecclesiæ parochiali seu capella noviter exstructæ intra limites parochiæ baptismalis, si certum ei territorium assignatum sit, ius enim parochiale censetur assignatum integrum. Secus est, si sint assignatae personaæ Card. TVSCH, præl. concl. 64, lit. D. d. dec.

§. IV.

Sed quid sentiendum de decimis novalium? num universalis decimatori solvi debent, an parocho? pro universalis decimator militat C. ex parte tua 27. de decim. cum ratione: quod talia loca semper fuerint inculta, ut nullum videatur ecclesiæ parochiali jus unquam quæsumum esse. At rectius tamen videtur dictas decimas parocho istius loci pendere debere, pro quo facit Cap. cum contingat. 29. C. quoniam 13. de decim. & ratio quod novalium decima prædialium numero censemantur, & ita parocho solvendæ sint. COVARR. Varr. resol lib 1. cap. 17. n. 13. CANIS. 3. Instit. Jur. Can. 26. §. novalium fol. 154. Hancque communem & receptionem dicit WEHNER. in præf. obseruat. sub verb' noval. Zehend. ubi hoc ita restringitur, ut nequidem occasione decimationis antiqua, licet in Feudum decima concessæ sint, novalium decimæ usurpandæ veniant. Cum in talibus non sit extenda licentia, sed potius restringenda. Quodsi vero ex horis aut pratis fiant agri & sic tantum forma mutetur, ut propriæ novalium nomine tales fundi non veniant, decimæ ex iis parocho aquæ penderi debent, dummodo tamen subdividi in ejusmodi locis libertatem præstandarum decimarum antea non præscripserint. WEHNER. d. l. idem statuendum ubi una tantum ex parte ager cultus fuit, & ex eo decimæ dari solite sint, ex altera noviter culta quoque solvendæ sunt parocho aut decimatori universali, cum hæc pars sequatur naturam prædii, licet illa antea nunquam culta fuerit, percipiens enim in aliqua parte fundi acquirit quasi possessionem juris decimandi in toto fundo, licet singulæ glebae cultæ non essent. Quod secus foret, si singuli fundi essent separati, quia tunc possidens aut præscribens decimas in uno non acquirit possessionem aut ius decimandi in alio.

B

§. V.



§. V.

Episcopo insuper debetur quota pars decimarum prædialium , qnam exigunt parochiales ecclesiæ & alia capellæ de jure communi , eamque solvunt Episcopo in signum subjectionis . Castrens . Corf. 38. lib. 1. intuitu illarum Episcopus etiam fundatam habet intentionem , sicuti parochus . Præter hos exigere non minus potest decimas summus Pontifex , si scilicet necessitas & bonum ecclesiæ spirituale id posse letet , quo casu eas & que ab ecclesiasticis ac omnibus omnino Christianis exigit . LESS. 2. de j. & j. C. 39. dubit. 5.

§. VI.

Agitur in præsenti capite de subjeclis decimarum aëtivis & passivis , illa igitur hic quæstio non omittenda , utrum laicus sit capax juris decimandi ? & respondetur , cum jus istud percipiendi decimas sacerdotes consequantur ex ministerio altaris & spiritualium , & ita jus hoc fundatum sit in titulo spirituali scilicet in munere ecclesiastico administrandi sacramenta & pascendi populum cibis spiritualibus , manifeste sequi , jus tale primarium decimarum laicis competere non posse C. quamvis 17. C. tua 25. & C. dudum 31. de decim. eosque ita hujus juris omnino esse incapaces , non obstante quod ante Concilium Lateranense obtinuerit ; ut laicis de ecclesia bene meritis decimæ concessæ sint . Siquidem jus illud tantum erat jus quoddam secundarium decimarum , quod à primario oritur , & in laicos cadere potest , ac sic decimæ à prælatis laicos in feudum perpetuò concessæ fuerunt , quod vero imposterum fieri à præfato concilio magno conatu prohibitum est . Ita tamen ut laici decimas antiquitus sibi à prælatis in Feudum perpetuò concessas justè possint detinere , non autem eas , quæ post illud etiam jure feudorum iis à prælatis in perpetuum datae . C. cum Apostolica. de his que sunt aprelati . & d. c. quamvis ibique glos. & c. probibemus. de decim. potest tamen Episcopus laico ex justa causa v. g. si ecclesiam ejusve

(11)

jusve patrimonium à tyranni oppрessione exemerit , ad vitam aliudve tempus decimarum fructus concedere , non jus ipsum percipiendi decimas , eosque titulo & nomine ecclesiæ laicus ita consequitur , sicut conductionis jure nomine sacerdotum decimas & oblationes potest percipere . Prater laicos decimas habere prohibentur religiosi , & si eas sibi forsan appropriate attendant , pœnas incurunt . Clem . i . de decim .

CAPUT III.

De modis acquirendi decimas .

§. I.

Expositum in antecedentibus quænam sint subiecta decimarum , bono ordine jam sequetur , quibus modis decima ergo acquiri posint . Ac primo quidem , ut § . 3 . Cap . 2 . hujus dissertationis dictum immediate ex legis dispositione decimas sibi acquirunt parochi intuitu ecclesiæ baptismalis , vel capella C. ecclesie ib . Q . i . de decim . omnesque illi , qui spiritualia administrant ,

§. II.

Porro laici ex privilegio solius Pontificis Romani consequi & obtinere possunt jus percipiendi decimas . COVARR . Var . refol . lib . 1 . cap . 17 . iisdemq ; à prelatis decimas conceduntur , non alia tamen , quam quæ ante Concilium Lateranense in feudum dari solitas sunt , C. vestra 2 . de loc . & condit . C. quarelam fin . ne prelati vices suas . Si vero tales decimas eo feudo cessante ad ecclesiæ am liberè pervenerint , possunt quidem eo modo , quo alia res ecclesiæ in feudum dari consuetæ laicis iterum concedi . COVARR . c . l . n . 5 . dummodo necessitas ecclesiæ aliud non postulet , quia forte ecclesia depauperata est . LVDW . in synops . p . 104 . quo casu Prælatus illas de mensa ecclesiæ facit . Extra has autem nulla decima à prelatis concedi possunt laicis ,

B 2

cis,

cis, & contrà facientes graviter puniendi & deponendi sunt. *C* quamvis sit grave 17. de decim. & quemadmodum pralati decimas in laicum alienare haudquam possunt, ita nec laicus in alterum laicum licet etiam Episcopus confenserit. *d. c. cum Apostolica IMOLA*, in capitul. 2. de feudis *Part. 4 ad fin.* quamvis laicus cum consensu pralati eas in ecclesiam valide transferre posset, ut ecclesia illas eodem titulo obtineat. *Dd. in cap. cum S plantare §. 1. de privileg. & d. l. cum Apostolica.*

§. III.

Præscriptione itidem decimas acquiri solent. Ubi tamen illa præprimis differentia venit observanda præscriptionem inter & privilegium, quod scilicet privilegio jus percipiendi decimas laici, ut jam dictum sþho antecedente, consequi possint, non item præscriptione etiam ejus temporis, cuius initium excedit memoriam hominum, siquidem laici possessionis hujus juris incapaces sunt, nulla verò præscriptio absque possessione subsistere potest, ita: ut etiam immemorialis præscriptio privilegio non æquivaleat, ubi nimurum ad est talis incapacitas *C. canam 7. in fin. de prescript. SIGISMUND.* FINCKELT. de jure patron. c. 4 n. 38. Sitamen laicus per tempus immemoriale decimas exegerit, illas omnino consequi potest, dummodo titulum alleget & probet se possidere eas tanquam vasallum. VARELLUS *de sif. 242. part. 1. & de sif. 376.* part. 2: & sic probato titulo & possessione temporis immemorialis præsumitur illas decimas ante Concilium Lateranense ei concessas esse. VALLENS. §. VI. n. 1. de decim. Procedit igitur solum illa præscriptio decimarum, quo Clericus jus percipiendi decimas ex aliena parochia præscribit. Cap. ad au res de prescript. in 6. requiritur tamen ad ejusmodi præscriptio nem vel temporis immemorialis vel quadraginta annorum quasi possessio cum titulo atque ideo hic titulus requirit necessario, quod juris communis præsumtio militet contra tam præscribentem *Text. gloss. & communis opinio in d. c. eodem planè*

275

(13)

planè modo decimæ uni ecclesiæ jure communi debitæ ex consuetudine alteri recte solvi possunt. C. ad apostolicæ C. cum contingat. C. quoniam de decim. cum vel maximè in decimis solvendis consuetudo considerati debeat, COVARR. var. resol. lib. i. cap. 17.

§. IV.

Denique compositione acquiruntur decimæ, eaque inter clericos super decimis sine autoritate superioris validè sit. C. ex multiplici de decim. quæ compositione tamen semper est personalis non realis. Cum laicis verò absque autoritate superioris componi super decimis prateritis potest. C. ut super de rebus eccles. non alienand. secus super futuris. ABBAS in C. cum homines de decim.

CAPUT IV.

Quibus modis decimæ amittantur,
& ab earum præstatione quispiam
eximatur.

§. I.

Dictum in prioribus privilegio, præscriptione & consuetudine sive à clero sive à laico decimas acquiri; sic iisdem omnino modis illas iterum amitti brevibus hic demonstrandum. Ita propter cessantem legis rationem & ipsa cessat legis dispositio, dum nimis jure communi decimæ solvuntur ecclesia parochiali & baptismali propter administrationem sacramentorum ideo si, cestet illa sacramentorum ministratio, ut quia ecclesia sit dirupta, & non exteat aliqui parochiani, non debentur tali ecclesiæ decimæ, neque ab illa ecclesia debentur Episcopo. CASTRENS. Conf. 38. per totum lib. I.

B 3

§. II.

§. II.

Porro solius summi Pontificis Privilegio à præstandis decimis eximi quispiam potest. *C. ex multiplici 3. C. suggestum 9. de decim. sed eâ solū ex parte, quā jure humano debentur, si tamen talis exemptio vel remissio citra fonticam cauam fieret, peccaret uterque & concedens & utens tali privilegio, licet valeat & ab inferioribus in discrimen vocari non posset. ABBAS. in C. à nobis, de decim. in quantum verò decimæ juræ naturali & Divino evangelico ministris ecclesiæ debentur, in tantum à summo pontifice tolli neutquam possunt. Dum ille utpote inferior in dictis juribus dispensare minimè valet. Ut si v. g. Pontifex per modum constitutio-
nis generalis præciperet, ne ab ullo decimæ solverentur. Card. TVSCH. Praef. Cozcl. 62, lit. D, num. 11. quodsi itaque uni aut alteri particulari persona privilegium quoddam de non sol-
vendis decimis concessum fuerit, intelligitur illud de extra-
ordinariis, si aliter expressum non sit. PVTÉVS decis. 65. lib.
3. FRANC. CREMENS. sing. 10. ac privilegium tale si reale est, etiam ad colonos extenditur, secus ubi fuerit persona-
le. ARNOLD. de REYGER in *Thebaur*, *jur. sub verb. deci-
mæ.**

§. III.

Præscriptione similiter exemptio à solutione decimarum rectè procedit nec ullo modo in controversiam deducitur, quod clericos hoc in passu concernit, cùm sint capaces quasi possessionis spiritualium jurium, ut sic præscriptione exemptionem acquirant. BALD. de *prescriptione* 5. *parte princip.* q. 7. etiam quoad totam decimarum portionem,

§. IV.

Sed utrum etiam laicus immunitatem à non præstandis decimis per veram & propriam præscriptionem titulo solius usucaptionis acquirere valet? Negativam propugnat REBVFF.
in

(15)

in tr. de decim. q. 13, n. 55. RITTERSHVS. differ. jur. Civ. & Can. lib. 4. C. 15. ROSBACH. differ. jur. Civ. & Can. lib. 2. iii. de usucap. 2. n. 12. vers. BERLICH. p. 2. concl. 4. n. 24. BE. SOLD. p. 2. consl. 75. n. 4. & p. 2. consl. 282. n. 1. 2. FINCKELT. de jur. patron. c. 4. n. 98. ex rationibus: quod præscriptio contra publicas sanctiones minimè locum habeat, & ea, quæ in signum subjectionis debeantur, nullo unquam tempore præscribi possint. l. competit. 6. C. de præscript. 30. vel 40. Annor. MODEST. PISTOR. vol. i. consl. 3. n. 29. 25. & 28. BER. LICH. d. concl. 4. n. 24. insuper: quod præscriptio contra jus Divinum neutiquam valeat; decimas vero jure Divino debeantur, cum sint patrimonium Christi, tributa egentium animarum, debita in signum universalis dominii non homini sed DEO exsolvenda. arg. can frustra. 7. disf. 8. c. in aliquibus 32. illa quippe X. de decim.

§. V.

At quamvis à laicis decimas præscribi non possint ita: ut completa præscriptione sibi ex aliis agris nec debeantur, nec præscriptæ dicantur. d. C. quamvis ij. C. probibemus. 19. X. de decim. cum eas propter incapacitatem, ut dictum, determine non possint, & sic nec præscribere. C. causam 7. in fin. de præscripti. SIGISM. FINCKELT. de jure patron. c. 4. n. 38. quia nempe jus percipiendi decimas spirituale est. Attamen posse laicos præscriptione eximi à jure solvendi decimas etiam quoad totum, censendum est. Siquidem ex juris Pontificiis sanctiōnibus nullibi constat, laicos incapaces esse ad quasi possidendam exemptionem istam à decimarum solutione; cum jus illud nec sit spirituale, nec quasi spirituale, non enim est jus percipiendi eas decimas, qua sacerdotibus ministranti bus spirituālē debentur, nec easdem decimas vere debitas retinendi: sed jus percipiendi ex agris propriis fructus integros absque detractione decimarum. Ea vero præscriptio, cum sit præsumptio juris in contrarium. C. i. de præscript. in 6. hinc requirit aut titulum & tempus 40. Annorum simul quia

quia minori tempore contra ecclesiam non præscribitur. *C. de quarta b. & C. ad aliud 8. X. de prescript.* nisi ob specialem rationem, ut in *C. si de terra. b. in fin. de privilegiis.* aut tempus immemorale absque titulo *jux. D. C. i. de prescript.* in *b. quæ quidem præscriptio (idem judicium de privilegio & consuetudine esto) libertatis seu immunitatis procedit, dummodo ex redditibus ecclesiasticis congrua aliqui super sit portio ad ministrorum ecclesiasticorum justa alimenta, hac enim jure divino & naturali eis debita sunt, & ideo nec privilegio, nec consuetudine, neque præscriptione tolli possunt. C. suggestione de decima.*

§. VI.

Eandem consuetudini ad eximendum fese ab eo jure quo solvere decimas quispam tenetur, vim & effectum esse tribuendum merito statuit, possunt itaque Clerici, etiam si non sint rectores ecclesiæ sicut præscriptione, ita & consuetudine eximi à solutione decimarum æque prædialium ac personalium, etiam ratione prædiorum patrimonialium, quæ sunt in alterius parochia sita, ex ratione supra in hoc cap. §. 3, allata, non minus obtineri potest libertas ab earum decimarum solutione, quas una ecclesia ex prædiis intra alterius parochiæ limites sitis eidem parochiæ solvere tenetur. PANORM. in cap. novum genus de decim. & maxime procedit hæc consuetudo cum juxta juris canonici sanctiones illas decimas tali parochiæ minimè deberi, satis appearat ex gloss. singul. in d. c. Novum genus. nec refert ea prædia dotalia sint, nec ne. PANORM. c. 4.

§. VII.

Circa laicos, utrum & hi à decimarum præstatione se fese eximere ultra possint consuetudine major hic & difficultior oritur controversia, existimant nonnulli inter quos HORSTIENS.

ENS. in C. in aliquibus de decim. seculares se posse à decimarum personalium solutione eximere, non verò ab obligatione solvendi prædiales, quod nempe illæ humano tantum jure, hæ naturali & divino instituta sint. Alii censent ad vigesimam trigesimamque usque partem consuetudine reduci, tolli autem nequaquam posse, cùm jus divinum & naturale diminui quidem, non omnino tolli possit, cuius sententia sunt PANORM. & VINCENS. in d. cap. in aliquibus. rectius tamen sentiendum consuetudine induci posse exemptionem à solutione non modo decimarum personalium, ut nec ullam eorum partem laici solvere teneantur, cùm talis consuetudo juri solum humano deroget, nec irrationalis sit salvis decimis prædialibus, imo & harum ad vicesimam aliamve portionem, dummodo honestæ sacerdotum sustentationi sufficiat. GVIDO PAPA decif. 284. hæ namque in tantum à juris naturalis & divini instituto decima processerunt, ut scilicet congruam præmonstrant ministrantium spiritualia sustentationem, quæ nulla unquam consuetudine tolli, nec item diminui potest. juxt. C. ult. de consuetud. ratio insuper est, quod jus naturale perpetuum sit ac immutabile atque itidem divinum ab ullo homine nequeat immutari, tolli, aut minui,

§. VIII.

Vt vero quisquam consuetudine à decimarum solutione se exemptum dicere possit, quadraginta annorum usus sufficiens est & legitimus, licet eadem in specie præscriptio, ut supra dictum, longius tempus scilicet immemoriale, aut quadraginta annos cum titulo exigat. FELIN. in C. ad audienciam de prescrip. n. 25. nec ullus in consuetudine requiritur titulus, licet præsumtio juris sit in contrarium, cùm text. in C. 1. de prescript. in 6. tantum procedat de prescriptione JAS. in 1. de quibus 46. ff. de legibus. FRANC. BALB. de prescript. 1. parte princip. q. 10. neque bona fides ad consuetudinem hanc inducendam necessaria est. BALB. de prescript. 5. part. princip.

C

97.

q. 7. atque ita appetet in hac consuetudine sufficere , si ratio-
nabilis sit & legitimè præscripta, qua & cetera, quæ jure Pon-
tificio statuta sunt, regulariter tolluntur. C. ult. de consuetud.
l. de quibus ff. de ll. de cetero per compositionem & remissio-
nen qualiter exemptione fiat à præstatione vid, VALLENS. tit,
de decim. §. 8, n. 4. & s.

CAPUT V.

De foro & actionibus circa deci- mas competentibus.

S. II.

CVM causa decimarum spiritualis sit , & ita , si agatur,
an debeantur decimas vel non debeantur de aliqua
re , seu quomodo & qualiter. Harum qualitatum
cognitio spiritualis quoque est , & ad forum eccl-
esiasticum spectat. Atque in tantum causa decimarum fori
ecclesiastici est , ut , etiam si controversia oriatur de decimis
inter solos laicos , causa nihilominus ecclesiastica & spiritualis sit , non minus , ac de matrimonio dicimus , nec iudex
secularis se se intromittere , ac nequidem per viam reconven-
tionis ARNOLD. de REYGER. in Thesaur. jur. lit. D. n. 18. de
decim. neque in talem in hac causa compromitti posit , sed
laudum , si quod forte à seculari latum , omnino nullum sit.
ZABAREL. Conf. 92. n. 8. in fin. hac vero procedunt , si de de-
cimis in petitorio controvertatur. GAIL. lib. 1. Obs. 38. n. 1. in
quo appellations in causis decimarum in camera imperiali
non recipiuntur. GAIL. d. l. n. 2. WESEMB. Conf. 56. part. 2.
sed coram judice itidem ecclesiastico introduci debent; idque
solum ad effectum devolutivum non vero suspensivum , ubi
scilicet

(19)

scilicet contra debitorem decimarum sententia lata fuit.
VIVIVS, lib. 1, de c. 73.

§. II.

In possessorio autem causæ decimarum per judices seculares agitari & decidi possunt. GLOSS. in C. litteras, de jure, calumna, ubi habetur: cujusque rei spiritualis possessio nem temporem esse & censeri, quamvis respectu ecclesiæ agatur, cum tamen de jure spirituali controversia non moveatur, ubi scilicet actor petit sibi decimam solvi, Reus negat se ad solutionem teneri, quia forte privilegiatus, vel quia alteri solvit, vel quia se ita convenisse cum superiore prætendit; sed tantum super facto queratur: An decimas solverit vel non? qua questiones cum meri facti sint. Tex. in l. asseveratio C. de non num. pecun. Sic judex laicus super tali facto cognoscere potest. Quam sententiam sequi cameram imperiale, &c, ubi super possessorio in causis decimarum controversia moventur, appellations recipere & citationes decernere, attestatur GAIL. c. l. n. 4. in eo scilicet casu, quo clericus in possessorio ratione decimarum laicum solvere detestantem convenient, qui utique potest judicium coram seculari judge inchoare. C. fin. de jud. Ubi laicus vero actor contra clericum cujuscunque rei possessorio experiri intendant, hunc regulariter in foro ecclesiastico convenire debet. Quatenus autem decimarum causa coram judge laico tractantur, quatuor casus considerandos inducit BERNARD GRÆVEN, lib. 1, concl. 38, n. 4. MENOCH. Cons. 268.

§. III.

Actiones quod in hac materia concernit: si quæstio sit de jure decimarum respiciens nempe judicium proprietatis seu petitorum, exiguntur decimæ utili actione confessoriæ & denegantur negotioriæ §. aque si agat. Inst. de actionib. & l. utr. frui

C 2

3.

3. ff. si iusfr. petat, potest & rei vindicatione agere ecclesia pro decimis exigendis, quando fructus sunt separati à solo vel quando decima in fundo segregata sunt ab aliis fructibus. GEMIN. Conf. 72. n. 3. Sic quoque Episcopus decimas omnes vindicare potest in feudum concessas vel alienatas, si non doceatur vel de investitura ante concilium lateranense aut de privilegio à solo summo Pontifice concedo. FULGOS. conf. 226. idem afferit Card. TVSCH. pract. concl. 75. n. 3. lit. D. posse scilicet Episcopum editum promulgare, quod omnes habentes investituras & feuda decimatarum debeat docere de investitura, aliás privati sint, si intra annum non receperint novam investituram & contra tales negligentes posse agere rei vindicatione allegans FVLGOS. d. confil. 226. Si vero agatur de momentanea possessione, experitur utili remedio retinenda in possessorio summarissimo. Si controvrtitur: quis justiore & magis titulatam habeat decimarum quasi possessionem, agitur ex remedii possessoris utilibus vel de adipiscenda vel recuperanda possessione.

§. IV.

Circa probationem decimarum, illud singulare est, quod licet regulariter testes singulares non probent. C. licet causam ver. quanquam. de probat. l. ob carmen in fin. ff. de testib. hoc tamen non procedat in materia decimatarum, si unus testis v. g. deponat de tritico, alias de hordeo, valet probatio, quia sufficit per partes unum integrale nimurum collectionem fructuum probasse. Notandum & hic eos, quibus specialiter à jure communi certa decima concessa & assignata sunt, quales sunt Episcopi, parochi, aliquie decimatores universales, præsertim si sint ecclesiæ, hos quoad omnes decimas in assignatis sibi territoriis intentionem suam fundatam habere & ab onere probandi immunes esse KLOCK. Vol. I. C. 41. n. 8. illos verò qui vel exemptionem à decimis vel præstationem earum prætendunt, probationibus esse gravatos. Suffi-

279

¶ (21) ¶

Sufficit autem si laicus decimas titulo feudi percipit, eas à tempore immemorali dicto titulo possedisse, ubi ulteriori probatione opus non est, talis enim possessio maximam inducit presumtionem ac sufficientem probationem tituli
ante Concilium Lateranense acquisiti. JAS. Conf. 156. Col. 1. lib. I.

F I N I S.

AD NOBILEM ET CLARISSIMUM DOMINVM

CONRADVM FERDINANDVM HAAS,
Juris Doctorandum Eximium.

Mitteris Erfurtum, felix dimitteris inde,
Promeritum quoniam jam diadema refers.
Gratatur CLERUS, cuī Tu modò *Syndicus extas*;
Acclamat LAICI : *Jureperitus ovat!*
Porrò Te virtus, cuī jam collata corona,
Reddat apud CLERUM clarum, & apud LAICOS.

Hicce applaudebat

ALHARDUS RABANUS JORDANS,
Eccles. Colleg. B. M. V. Erfurti Canonic.
Capitularis.

QVâ TE laude veham, dignum TE laude probâ-
fti,
Portio grata animo, dulcis amice, meo?

C 3

TE

(22)

TE novi à teneris: amisi : Mogona reddit;
Discessi : læto TE mihi Gera refert.
Hæc TIBI promeritos Juris superaddit honores
Insigni cùm TE dexteritate virum
Monstras : testis ego. Tua sit doctrina futurum
Grande decus Patriæ. Vive, vigero, vale.

*In singularis affectionis symbolum
dedit*

C. W. STRECKER, J. V. D.
& P. P.

SYndicus in Patriâ Cleri venerabilis extras,
Jure TIBI arrisit scribere de Decimis.
Sic justè poteris decimas augere. Profecto
Nominis hinc veniet gloria magna TVI.

Hec gratulabundus apponit
J. H. von Steinmeißen/
Facult. Philos. & Colleg. Portæ Cœli
Decanus Prof. Phys. P. O.

A Vrea quas cepit, CONRADE, Moguntia laudes
Erfurtum complet : sit TIBI laus & honor.
Ore loquax, & mente sagax, insignis in arte
Ex votis favor est, est & in ore lepor.
Hinc meritò summi TIBI conceduntur honores.
Adjicant votis cætera fata. Vale.

Ita ex animo applaudit
WILHELMUS HENRICUS WINCOP,
Jurium Candidatus.

¶ 30 ¶

TA-OC (1+12)

56.



W18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimeters

1720/11 268 34
SERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA
DE JVRE
DECIMARVM,
QVAM
VLTV ILLVSTRIS FCTORVM
ORDINIS
PERANTIQVÆ ELECTORALIS VNIVERSITA-
TIS ERFORDIENSIS
PRO LICENTIA
IN VTROQVE JVRE HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI,
DIE XXI. MARTII ANNO MDCCXX.
IN AVDITORIO MAJORI
HORIS CONSVENTIS DEFENDET.
RADVS FERDINANDVS
HAAS, Frideslariensis,
ERFORDIAE,
OH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.